Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1939
Quelle:
Copyright:

rorum *Sermonariis*, quorum magnus numerus primis typis vulgatus est, sed nempe tardius Ars imprimendi solidas apud nos radices fixit.

Thecam posticam Compactor vestivit membrana, in qua e quodam magnifico *Psalterio* Hebraico punctato comparet *Psalmus* CXV. a v. 14. ad v. 5. sequentis.

DCCCIV.

U. 607 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 385. f. per duas columnas non una manu, bene tamen perscriptus, et minio destinctus, atque, ut praefertur, *ad collegium beate virginis burse rose* testamento M. *Johannis Goldner ex Hamburga* a. 1481. legatus sequentia continet: I. *Incipiunt collationes Magistri Thome de Haselpach de epistolis in festis sanctorum per circulum anni. et primo Prologus.* Ita: *Laudate dominum in sanctis eius. Hic monet propheta regius spiritu sancto afflatus* &c. Sub finem ait, *Collationes* istas *his decurrentibus annis* populo sibi credito in *perchtoldsdorff* a se *propria in persona* declamatas fuisse *vtinam tam fructuose quam laboriose!* Porriguntur vero a Festo D. *Andreae* ad D. *J. Baptistam*, ubi Rubrica monet, subsequas in alio Libro quaerendas esse.

II. *fol.* 254. succedunt Ejusdem Sermones in Evangelia Dominicar. inscripti: *In die Sancto penthecostes Collatio prima.* In illud: *Si quis diligit me* &c. *Joh.* 14. Initium: *Non solum scripture veteris et noui testamenti ammonent nos* &c. Neque hi ultra *Dominicam V. post Pentec.* progrediuntur, monente iterum Rubrica, Continuationem in alio Libro quaerendam esse.

III. *fol.* 320. p. 2. Carmina tria. Primum versuum 26. in Mulieres hoc initio:

Versus et versus in me dum confero versus,
Non valeo fari, non scribere, non meditari.
En fatear verum, que sit feritas mulierum &c.

Hoc Metrifice teste nihil pejus Femina. Alterum rhythmicum Stropharum 46. *Colmannum* quendam inducit de Uxore capienda deliberantem, a quo proposito illum tres Angeli *Petrus*, *Laurentius* et *Johannes* a Trinitate submissi dimovent. Init:

Sit deo gloria et benedictio,
Johanni pariter, Petro, Laurentio,
Quos misit Trinitas in hoc exilio,
Ne me permitterent in hoc naufragio.

Uxorem ducere quondam volueram.
Vt vitam sequerer multorum miseram,
Decoram virginem pinguem et teneram,
Quam inter alias solus dilexeram &c.

Ange-